

spectat ad promulgationem legis, de qua statim dicemus, quam ad editionem seu constitutionem ejus, de qua nunc tractamus: unus autem modus magis usitatus constituendi talem sententiam in statu legis esse solet quando inseritur in corpore juris, ut sumitur ex l. 1, C. de Novo codice faciendi, § penult, in fine, et in jure canonico est id maxime usitatum, ut infra videbimus. Non videtur autem hic modus publicationis adeo necessarius, ut nullus alius possit sufficere, quia nullo jure id cavetur, nec ex natura rei sequitur. Poterit ergo alio modo sententia taliter per publica rescripta, vel per publicam famam evulgari, ita ut in ratione legis constituatur, in quo cum proportione servandum erit, quod infra de promulgatione legis dicemus.

18. *Dubiofum.* — Quæri autem solet an hoc intelligendum sit de sententia solius imperatoris, vel etiam aliorum inferiorum: nam Glossa l. 1, ff. de Feriis, verb. *Derogare*, significat sententiam inferiorum magistratum non facere legem, et loquitur in particulari de prætore, ubi id notat Jason n. 23, cum Angelo, et multis aliis qui limitationem extendunt ad reges et alios inferiores principes, etiam habentes potestatem condendi leges; et hoc etiam secutus est Felin. in dicta rub. de Rescription. Contrarium autem docuit idem Angel. in l. *Item veniunt*, § *cæterum*, ff. de Petit. hæredit. quem Jason supra, et in dicta leg. 1 de Constit. princ. n. 6, posteriori loco refert, et non improbat. Felin. vero prius reprobatur, postea ex parte illius sententiam admittit, scilicet, quando sententia inferioris potentis condere leges in territorio suo inserta est inter constitutiones ejus. Sed hoc pertinet ad modum promulgationis, et supponit potestatem ferendi legem per sententiam; hoc autem posito, non est cur modus promulgationis limitetur ad illum modum magis in his inferioribus quam in imperatore, servata proportione.

19. Quocirca distinctione utendum esse censeo, qua posita facile intelligetur in quo sensu locum habere possit prior sententia, et quomodo Angelus non docuerit contraria. Primo ergo, si magistratus inferior qui sententiam profert non habeat potestatem condendi leges, clarum est multo minus posse legem ferre, ferendo sententiam; tum quia semper est defectus potestatis, tum etiam quia modus ferendi legem per sententiam nihil habet speciale, sed potius pertinet ad extensionem quamdam potestatis.

20. *Subdistinctio de condente legem.* — Dein-

de, si is qui tulit sententiam potestatem habeat condendi legem, subdistinguendum est, quia vel est supremus princeps non recognoscens superiorem in temporalibus, ac talis ut non obligetur jure communi civili seu imperialibus legibus; et in illo procedit doctrina non minus quam in imperatore, sive ille sit rex, ut Hispaniæ, Galliæ, etc., sive dux supremus, sive respublica, ut Veneta, de qua videtur loqui Angel. in posteriori loco supra allegato: ratio autem est, quia doctrina data non fundatur in speciali dignitate imperatoris aut regis, sed in jurisdictione legislativa suprema: nam ad omnem principem vel legislatorem habentem talem jurisdictionem æque spectat interpretari suam legem ac condere, et potest per sententiam illam interpretari, sicut potest imperator; vel ferendo sententiam potest per illam legem condere, si velit, et id declarat: quis enim, aut quid prohibet?

21. Denique talis esse potest princeps qui fert sententiam, ut, licet possit legem ferre, superiorem nihilominus habeat, cujus commune jus servare tenetur, et solum ex concessione ejus possit aliquas leges condere, non contrarias juri communi; et de hujusmodi sententia iterum distinguendum est: nam si illa contineat interpretationem juris communis supremi principis, non poterit inducere legem, etiam pro particulari territorio inferioris principis: quia non spectat ad illum interpretari legem superioris, etiam pro sua provincia: tum quia esset in præjudicium superioris, tum etiam quia lex unica est pro toto regno superioris, ideoque unum universalem debet habere sensum, quem non potest dare inferior cum auctoritate: alias possent plures ex similibus inferioribus variis et contrariis modis interpretari legem pro suis provinciis: unde constat multo minus posse talem sententiam, si sit contra jus superioris, habere vim legis privatæ, seu municipalis: tum quia non est concessum illi inferiori legislatori contra jus commune regni præcipere, ut supra ostensum est: tum etiam quia nec talis sententia justa esset, utpote juri contraria; et in hoc sensu videntur loqui auctores ponentes discrimen inter supremum vel inferiorem; quod etiam significavit Gregor. Lopez in l. 9, tit. 18, part. 3, n. 9 ubi ait quod, licet in supremo senatu fuerit judicatum contra jus commune regni, non est curandum, quia magistratus non potest inducere stylum in derogationem juris communis, et sumitur ex l. *Nemo*, C. de Sentent. et interlocut. omnium judicium. At vero,

CAPUT XVI.

QUÆ PROMULGATIO NECESSARIA SIT AD PERFECTAM CONSTITUTIONEM LEGIS CIVILIS.

1. *An sine scriptura, et publicatione valeat lex et liget statim.* — Superest dicendum de tertia solemnitate legis, quam subsequentem appellavimus, comparatione facta ad voluntatem principis, et exterius scriptam vel declaratam aliquo signo sensibili exterius indicante illam, et circa quam suppono in primis, non esse satis privatam principis locutionem, seu expressionem, ut lex jam lata censeatur, donec voluntas et jussio principis solemniter edita et subditis proposita sit: hoc enim et utroque jure humano est constitutum, ut supra lib. 1, cap. 11, ostensum est, et ipsa legis natura postulat: tum quia est regula operationis ad quam tota communitas se debet conformare: non potest autem habere talem rationem communis regulæ, nisi publice sit edita, ita ut a tota communitate observari possit; tum etiam quia lex est signum voluntatis principis qua vult totam communitatem movere et obligare: ergo oportet ut tale signum publicum sit; unde fit conditionem hanc ita esse necessariam et intrinsecam legi humanæ, ut non possit princeps, etiamsi velit, legem condere sine aliqua publicatione communitati accommodata, et de se sufficiente, quamvis modum ejus variare possit; quia illud prius generatim et absolute sumptum est jure naturali necessarium, ut ostensum est. Estque communis sententia omnium quos referemus. Solum inveni apud Selvam, de Benef., q. 22, n. 14, quod sine scriptura, *sine publicatione valet lex, et ligat statim, si conditor velit*, et citat Glossam in Clement. de Hæreticis. At vero illa Glossa in verb. *Et tunc* non dicit sine publicatione, sed statim a promulgatione, quod longe diversum est, ut infra declarabo: neque aliter loquuntur doctores in rubr. de Constit. quos etiam Selva refert: unde etiam ille forte in eodem sensu locutus est, per publicationem intelligens illam quæ longo tempore vel certa solemnitate fit: hæc enim potest per principem immutari, ut dicemus. Explicandum vero est, quæ et qualis debeat esse hæc solemnitas, seu publica propositio, quæ solet communiter promulgatio vocari.

2. *Particulam aut positam esse pro seu.* — In quo Panormit. in cap. 1 de Postulat. Prælat., n. 10, distinguit inter solemnem editio-

si talis sententia esset juri communi regni conformis, et aliquid adderet ad juvandum vel magis confirmandum illud jus, quoad id posset legem particularem inducere, quia in hoc potest inferior legem ferre circa eandem materiam cum lege superioris, ut supra cum communi sententia dictum est; et eadem ratione, si sententia talis principis inferioris versetur in materia circa quam nulla est lex superioris, in ea locum habebit doctrina data, nec oportet distinctionem facere inter hunc inferiorem et supremum, quia in hujusmodi sententia se gerit ut supremus, et quia potest uti sua potestate legislativa in tali materia, et per sententiam potest satis explicare se velle illa uti, et stylum seu regulam inducere.

22. *An idem dicendum de rescripto seu epistola principis ac de sententia.* — Tandem dubitari hic potest an quod dictum est de sententia locum habeat in rescripto, seu epistola principis, quod nimirum vim habeat legis, quod maxime locum habet quando per tale responsum interpretatur aliquam legem, vel suam, vel naturalem, idemque erit si rescribat, statuendo quid servandum sit in aliquo negotio vel dubio. In hoc enim Bart. in l. 2, C. de Legibus, negat rescriptum principis constituere generalem legem, et in hoc differentiam quamdam constituit inter epistolas pontificias et regales; sed de pontificiis postea suo loco dicemus. Sequitur Decius in rubr. de Rescrip. in princ., et Paul. de Castro in l. 1, ff. de Constitut. princ. Fundantur in dicta l. 2, C. de Legibus ibi, *vel consultatione*. Verius tamen est idem esse dicendum de Epistola vel rescripto interpretante dubium, quod de sententia; quod docent Jason, Angel., Felin. et alii supra citati, et videri potest Burgos de Paz in Procem. ad leges Taur. n. 450, et sumitur ex dicta lege ult. C. de Legibus in secunda parte ejus, et est expressum in dicta l. 1, ff. de Const. princ. ibi: *Quodcumque imperator per epistolam et subscriptionem statuit, vel edicto præcipit, legem esse constat*. Hoc autem intelligendum et declarandum est modo dicto de sententia: nam est eadem ratio de quodlibet responso principis, quod directe dicitur aliquod dubium, constituens illud responsum tanquam regulam operandi: oportet autem ut non sit concessum in peculiarem favorem, vel privilegium alienius personæ, vel ob particularem circumstantiam occurrentem, et ita eodem modo conciliantur jura civilia, ut dictum est.

nem et publicam promulgationem, et priorem putat sufficere ad substantiam et obligationem legis, sine secunda, quia in illo textu dicitur sub disjunctione: *Solemniter editur, aut publice promulgatur*; unde ait constitutionem obligare statim ac solemniter in publico consilio editur, antequam sit publice promulgata, ac subinde promulgationem publicam solum requiri quando lex sine solemnitate edita est. Melius tamen dicitur illa duo verba æquipollentia esse, et particulam *aut* positam esse pro *seu*, ut frequenter fit: unde fieri non potest ut lex humana incipiat esse lex, et vim obligandi habeat priusquam sit aliquo modo promulgata publice: nam si dicatur edita solemniter, solum quia in publico consilio regis aut senatorum reipublicæ conscripta vel definita est, hoc non est satis ut sit lex, vel ut obligare incipiat etiam præsentibus et scientibus, quia solemnitas requisita ad legem non tantum est ex parte conditorum, sed etiam in ordine ad communitatem, et ideo non est lex donec respectu communitatis habeat statum legis, nec incipit obligare singulos donec possit communitatem obligare. Quod optime explicatur in legibus editis in generali concilio: nulla enim potest esse solemnior editio ante promulgationem, et nihilominus non sufficit nisi sequatur promulgatio. Quamvis ergo lex sit edita in regio consilio, et ibi omnium ore prolata, vel eorum auctoritate scripta, et imo licet sit typis mandata, nondum est lex, donec aliquo alio modo publico sit communitati proposita, et hanc vocamus promulgationem. Si vero solemniter editio legis sit in conspectu totius populi, ut Panorm. loqui videtur, tunc solemniter editio includit promulgationem, immeritoque distinguuntur. Nunquam ergo editio legis habet solemnitatem requisitam sine promulgatione; neque e converso promulgatio esse potest sine solemniter editio, quia vel cum illa fit, vel certe additur editioni legis prius factæ, et solemnizat illam (ut sic dicam). Et ideo ubi illa duo distinguuntur, et diversis actionibus ac temporibus fiunt, necesse est, ut utrumque concurrat. Et ita sentit Innoc. d. c. 1, n. 6, et Hostiens., n. 21 et 22. et alii qui copulative intelligunt textum illum; nos autem utrumque sub nomine promulgationis vel solemniter editionis comprehendimus.

3. *Distinctio inter promulgationem et divulgationem legis.* — Ut autem explicem clarius qualis promulgatio sufficiat ac necessaria sit, distinguo inter promulgationem et divulgationem legis. Promulgationem appello illam

publicam propositionem seu denuntiationem legis, quæ fit aut voce præconis, aut affigendo legem scriptam in publico loco, aut alio simili modo. Divulgationem autem appello applicationem illius primæ promulgationis ad notitiam, vel aures subditorum absentium, qui aut legere, aut audire primam illam promulgationem non potuerunt: utrumque ergo explicandum est: nam re vera utrumque potest esse aliquo modo necessarium, et in utroque oportet aliquos dicendi modos extreme contrarios cavere.

4. *Prima conclusio.* — Dico igitur primo: Ex natura rei non est positive determinata certa solemnitas vel promulgatio publica, sed hæc in legibus civilibus ex ipsomet jure civili, vel ex recepta consuetudine, vel ex voluntate expressa legislatoris determinanda est. Prima pars per se nota videtur, quia ex jure naturæ solum habemus quod hactenus diximus, legem humanam debere esse communitati sufficienter propositam; modus autem hujus sufficientiæ non est ex natura rei definitus; ergo determinatio ejus non potest ex sola ratione naturali determinari. Addidi autem non posse positive determinari, quia negative aliquid designari potest in particulari quod ad promulgationem legis necessarium non sit, ut, verbi gratia, quod singulis subditis in particulari intimetur necessarium non est, ut expresse dicitur in c. 1 de Postulat. Prælat.; ubi omnes id notant non tanquam in jure tantum positivo præscriptum, sed ut ex natura rei consequens: tum quia lex per se respicit communitatem, et ideo respectu illius postulatur necessaria promulgatio, non respectu singulorum; tum etiam quia illa legis intimatio particularis ad singulas personas est moraliter impossibilis, et ex accidenti potest in multis impediri: lex autem considerat ea quæ sunt per se et quæ moraliter sufficiunt, et ideo licet particularis notitia vel ignorantia legis possit requiri ad accusationem vel excusationem uniuscujusque personæ, nihilominus sufficiens promulgatio legis ex his circumstantiis non pendet. Sic ergo quoad aliquam negationem habet determinationem hæc promulgatio legis, scilicet, ut generalis sit, et modo publico fiat absque privata intimatione: quoad illum autem modum publicum non habet positivam determinationem hæc promulgatio ex sola rei natura.

5. Unde facile colliguntur aliæ partes: quia de facto semper necessarium est ut hæc promulgatio determinato modo fiat, qui ad le-

gem constituendam et requiratur et sufficiat: alias nunquam posset subditis constare, quando lex sit sufficienter constituta ita ut obliget: ergo, cum hoc non sit ex natura rei determinatum, oportet per hominem potestatem habentem constitui; ergo quoad leges civiles maxime id fieri potest per jus civile, juxta quod fieri debent hujusmodi leges, vel per consuetudinem, quæ ad legem introducendum sufficit, ut infra dicemus, vel per voluntatem legislatoris: nam sicut potest legem ferre, ita et modum ejus determinare, ut statim dice-

6. *Quot in locis necessaria promulgatio legis.*

— *Leges aliæ inferiorum communitatum, aliæ amplissimarum.* — Declarandum ergo superest quæ certa solemnitas promulgationis nunc sufficiat vel necessaria sit pro legibus civilibus, et quo jure sit determinata. Et in particulari solet dubitari an sufficiat unica promulgatio in curia principis vel in metropoli totius regni, vel plures requirantur, et quot. Ut autem ad hoc clare respondeamus, operæ pretium erit distinguere duplices leges. Quædam sunt inferiorum communitatum, seu minus universalium; aliæ amplissimarum communitatum. Sub priori membro comprehenduntur municipales leges civitatum particularium; item leges unius provinciæ, vel etiam unius parvi regni, in quo una tantum est principalis civitas, seu metropolis, quæ est veluti caput omnium aliorum populorum. Sub alio capite continentur leges quæ feruntur a supremo principe habente sub se latissimam ditionem. Quod dupliciter contingit, uno modo per unionem plurium provinciarum in uno regno, ita ut singulæ provinciæ per se componant aliquo modo unum corpus, et unaquæque habeat suam civitatem præcipuam, et quasi metropolitanam, licet ex illis omnibus provinciis unum regnum coalescat, quod iisdem legibus gubernatur, et moraliter est quasi unum et per se indivisibile. Quando autem provinciæ ejusdem regni censeantur debeant esse ita distinctæ, et habere distincta capita provinciarum, ex usu et moribus populorum, et consueto regimine, et æstimatione illarum, credimus esse accipiendum. Alio modo contingit ditionem regiam non solum ex multis provinciis, sed etiam ex multis regnis constare, quæ non habent inter se moralem unitatem per se, sed solum per accidens in una persona ejusdem regis, ad quem vel per successionem, vel alio titulo per accidens devenerunt: exempla omnium istorum membrorum inveniri possunt in imperio Hispaniæ,

in quo sub uno principe sunt plura regna inter se distinctissima, quæ aliam unionem non habent nisi in una persona regis. Ex his autem regnis quædam sunt particularia, quorum singula unam habent metropolitanam civitatem, ut videtur esse Neapolitanum, regnum Aragoniæ, Valenciæ, etc.; aliqua sunt ampliora, ut Castellæ regnum, quod provincias valde distinctas et quasi metropolitanas complectitur, et hujusmodi etiam videtur esse regnum Galliæ, et similia.

7. *Leges prioris ordinis sat promulgari unica solemniter publicatione.* — De legibus ergo prioris ordinis omnes conveniunt sufficienter promulgari unica solemniter publicatione facta in curia, vel præcipua civitate, vel in loco secundum morem patriæ consueto: ratio est, quia illa sufficit ut lex dicatur publice ac solemniter edita, et ut moraliter valeat per totum territorium, seu districtum evulgari; ergo ex natura rei non potest cum fundamento aliquid amplius postulari: nec etiam jure positivo aliud præscriptum invenitur; ergo hoc sufficit. Et confirmatur, quia alias oporteret in singulis civitatibus vel populis promulgari; quia si una promulgatio non sufficit in capite, non est major ratio cur exigatur in quibusdam quam in omnibus aliis populis. Consequens autem est plane falsum, ut constat, tum ex usu, tum quia lex per se respicit communitatem: et ita satis est quod toti communitati semel publice proponatur. Ex qua ratione dicebamus supra non requiri privatam intimationem respectu personarum, vel familiarum; eadem fere ostendi potest non esse necessariam respectu singulorum populorum unius private ditionis, sive civitatis, sive provinciæ particularis regni. Hæc autem intelligitur per se, et nisi in ipsamet lege aliud præscribatur: nam interdum id poterit expedire, et non est dubium quin fieri possit et sæpe fiat, ut ex dicendis constabit, tam in præsentem quam in legibus canonicis.

8. *Prima opinio de legibus secundi ordinis.* — De legibus autem secundi ordinis sunt variae opiniones. Prima affirmat in illis legibus necessarias esse plures promulgationes, quæ fiant in capitibus regnorum, vel provinciarum, et factam in unaquaque metropoli solum pro sua provincia sufficere; vel si fiat in curia regis, solum sufficere pro illa provincia cujus est caput, vel in qua existit. Ita tenet Glossa in authentica *Ut factæ novæ constitut. collat. 5*, verb. *Hujusmodi lex*, et sequitur ibi Bartolus, et Baldus in lege *Leges sacratissimæ*, cap. de